

candi & sculpturam expresse textus monstrat, quod ipsum de Urim & Thumim non habemus. Cum ergo Scriptura hic taceat, nos cum Luthero, in glossa marginali, potius humiliter ignorantiam fateri, quam audacter incertum pro certo venditare volumus. Hoc interim scientes, responsa Deum interrogatum ordinarie per hoc medium dedisse, vel fulgore, vel quia id multiplicibus responsis vix congruit. 1. Sam. 23. 10. 30. 7. scripto pictura-ve aut potius voce, quod postremum verbo dicendi in ll. dd. innui videtur: an verò vox hæc ex ipso Urim & Thumim, an potius per internam Dei inspirationem à sacerdote prolata sit, ego determinare non audeo.

XV. Extraordinaria revelatio modis facta est pluribus, quædam extra hominem, quædam in ipso homine: Extra hominem facta est 1. In astris Mat. 2. 9. Es. 38. 8. 2. In Elementis Gen. 9. 13. (quamvis hoc ad ordinarias revelationes referri possit) Ex. 14. 20. Jud. 6. 37. 3. In animalibus Gen. 8. 8. & seqq. Num. 22. 26, 28, 33. 4. In igne cum primis sæpe revelationes ejusmodi factæ sunt, unde sæpius Deum per ignem & ex igne respondisse legimus.

XVI. Plures adhuc dantur revelationum divinarum modi in ipso homine 1. In ejus factis, ut quando sortes fuere projectæ Jos. 7. 14. 1. Sam. 10. 14. Act. 1. 26. 2. In ejus dictis, ut per certa omina Gen. 24. 12. Iud. 7. 11. 1. Sam. 14. 8. Joh. 11. 48. 3. In ejus oculis, per visiones vel expressas Act. 7. 56. Dan. 5. 5. vel parabolicas, quibus tota Scriptura plena. 4. In ejus auribus per oracula, quæ vel edita per angelos internuncios, Gen. 19. vel immediate, idq. tum assumpta forma Gen. 18. tum sine ea Joh. 12. 28. 5. In ejus phantasia per somnia Gen. 37. 41. 6. In ejus mente & intellectu sicut Basil. in Es. 7. (egredere in occursum Ahas) pleraq. prophetarum vaticinia edita censet, ubi quidam Moysen immediate, reliquos per species intelligibiles, illuminatos censent.

XVII. In